

in definitionibus, quæ vocantur definitiones per additamentum,
& tamen substantiæ non constituunt essentiam accidentium e. g.
finitas est concavitas nasi, cum tamen nasus finitatis essentiam
intrinsecè non constituat. Quod si verò essentia in argumento
tertio posteriori modo sumatur, minorem admittimus, sed nega-
mus majorem. Possunt enim quædam à parte rei esse idem, ut
tamen unum eorum in suo conceptu quidditativo seu definitione
includat aliud quod realiter ab eo, cum quo illud idem esse dici-
tur, differt. e. g. attributa Dei relativa non possunt explicari sine
quodam extrinseco, quod ab essentia divina realiter differt, & ta-
men attributa illa ab essentia divina sola ratione differunt; qua
de re agit *Martinus Becanus part. I. Theol. Schol. Tr. I. Cap. I. quest.*
III. Vid. Suarez D. M. XLVII. sect. VIII. n. IX. & seqq. & B. Stab-
lius Inst. Met. p. sp. sect. V. cap. VII. concl. 3.

§. XVI. Dicis: Relatio nihilominus habet essentiam distin-
ctam à fundamenti essentia: quæcunque verò habent distinctas
essentias, illa differunt realiter. Resp. paucis: quæcunque ha-
bent essentias citra mentis operationem distinctas, illa differunt
realiter: sed negatur quod relatio & ejus fundamentum habeant
essentias citra mentis operationem distinctas. Quòd autem fun-
damentum & relatio habeant essentias per mentis nostræ opera-
tionem distinctas, nos concedere possumus: verum inde non
potest inferri distinctio realis; siquidem permultas possumus da-
re instantias e. g. attributa divina, omnipotentia, omniscientia
&c. habent distinctas essentias, per mentis nostræ operationem,
& tamen realiter non differunt.

§. XVII. Ad IV. argumentum respondet *B. Stablius Institut.*
Met. p. s. s. V. c. IV. cum Suarezio Disp. Met. XXXII. sect. I. num.
XXIII. & D. M. XLVII. sect. VII. n. VIII. dicens, aliud esse loqui
de accidente physico; aliud verò loqui de accidente prædicamen-
tali seu logico. Accidens physicum in re verè inest & accidenta-
liter advenit, & sine dubio requirit distinctionem aliquam ex natu-
ra rei, ait Suarez. Accidens verò prædicamentale seu logicum,
secundum modum prædicationis (verba sunt Suarezii) & conceptio-
nis nostræ accidentaliter ac contingenter dicitur, secundum specia-
lem aliquam rationem, quæ ad constituendam aliquam ordinatio-
nem

nem